


Christian Ohm Johannes Marquard

**Duce Et Auspice Christo. Consensus Et Autoritate Ampliſsima Facultatis Iuridica  
in celeberrima Rostochiensium Academia Praeside ... Dn. Christiano Ohm I. U. D.  
Disputationem hanc De Donationibus**

Rostochi[i]: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730620735>

Druck Freier  Zugang



48  
26

DUCE ET AUSPICE CHRISTO.

*Consensus*

*Et Autoritate Amplissima Facultatis Juridica in celeberrima Rostochiensium Academia*

PRÆSIDE

Viro Clarissimo & Consultissimo,

DN. CHRISTIANO D H S M  
J. U. D.

Disputationem hanc

DE DONATIONIBUS.

Pro viribus defendere conabitur

IOHANNES MARQVARDUS

Rigà Livonus.

*Ad diem 5. Decembris.*



I. D. 187<sup>48</sup>.

R O S T O C H I

Typis Exscribebat Joachimus Pedanus

Anno M. DC. XII.

*Libentissime*

*R. U. - jur 1612 Ohm, Christian/d*



Clarissimo & Consultissi-  
mo Viro,  
DNO. CASPARO  
DRELINGIO J. U. D.  
Cognato meo observando.

¶ T ET


Speculatissimo & Integer-  
rimo Viro,  
DNO. GOTHARDO  
MARQVART,  
Inclytæ Reipubl. Lübecens. civi primario,  
Patruo meo charissimo.

*Hanc Disputationem Juridicam  
honoris & amoris ergò*



D. D.

Respondens.





DISPUTATIO  
De Donationibus.

Thesis I.



Donatio quasi doni datio nominata a) est actus, qui ex mera liberalitate b) utriusq; tam donatoris, quam accipientis consensu perficitur. c)

a) *l. Senatus 35. §. 1. ff. de mort. caus. donat.*  
b) *l. donationis 1. l. donari 29. ff. h. t. l. donari 82. de R. Jur.* c) *l. hoc jure 19. §. 2. ff. h. t. l. nec ignorans 10. C. eodem. l. invito 09. de R. Jur.*

II.

Donatio vel absoluta est seu propria, quæ simplex vocatur a) vel impropria: b) illam ex sola liberalitate donator peragit c) eaq; mente, ut rem donatam nullo casu ad se reverti velit. d)

a) *l. Senatus 35. §. 2. ff. de mort. caus. donat.* b) *d. l. Senatus §. 2. ff. de mort. caus. don.* c) *l. donationes 1. l. donari 29. ff. h. t.* d) *d. l. donationes 1. ff. h. t.*

III.

Quicumq; liberam rerum habent administrationem, illi etiam jus donandi habent a) ijs tamen exceptis, qui speciali juris dispositione prohibentur b) quorum in numero est filiusfam: qui etiamsi ei à patre libera peculij administratio concessa sit: tamen donare prohibetur. c)

a) *arg. l. filiusfam. 7. ff. h. t.* b) *arg. l. cum prator 12. ff. de judicij.* c) *l. pupillus 1. §. 1. ff. quæ res pign. oblig. non poss. l. filiusfam. 7. ff. h. t. l. contra 28. §. 2. ff. de Pactis.*

IV.

Furiosus a) pupillus b), servus c) prodigus cui bonis

interdictum, d) ut testari, cæterosq; contractus peragere, sic etiam donare non possunt.

a) *l. Modestinus 23. §. 1. ff. h. t.* b) *l. pupillus 11. ff. de adquir. rer. dom.* c) *l. contra §. 2. ff. de pactis.* d) *l. à cui bonis, 6. ff. de verb. oblig. l. Julianus scribit 10. ff. de curat. furios.*

#### V.

Donationes præsertim rerum immobilium, neq; cum decreto, neq; sine decreto à minoribus celebrari possunt.

*l. si quando 3. in fin. c. si major fact. alienat. l. deniq; 3. ff. de minorib.*

#### VI.

Donationes ratæ esse non possunt, post crimen perduellionis contractum, cum heredem quoq; teneat, nisi nondum postulatus vita decesserit. *l. donationes 31. §. 4. ff. h. t.*

#### VII.

Idem ex constitutione Divi Severi, & Antonini etiam in alijs capitalibus criminibus condemnatione subsequuta obtinere videmus. *l. post contractum 15. ff. h. t.*

#### VIII.

Liberalitatem ejusmodi conferre possumus, tam in amicos, & notos, quam in extraneos, & ignotos a) tam in præsentis, quam absentes b) modo illi rem sibi donari sciant.

a) *l. in extraneos 29. C. h. t.* b) *l. nec ambigi 6. C. h. t. l. absentis 10. l. etiam 4. ff. h. t.*

#### IX.

Non sunt etiam prohibita donationes affectionis gratia, neq; honestæ, neq; inhonestæ. *l. affectionis 5. l. donationes 31. ff. h. t. unde & meretricibus & concubinis donare licet.*

#### X.

Prohibita autem est donatio inter conjuges constante matrimonio, simplex, seu propria; a) Impropria non item. b)

a) *l. me-*

- a) *l. moribus apud nos 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.*  
 b) *l. si eum 9. §. 2. ff. de don. inter vir. & uxor. l. 43. ff. de mort. caus. donat.*

### X I.

In quibusdam tamen casibus inter virum & uxorem, donationes concessæ sunt: ut in casu, quando vir uxori, cujus ædes incendio consumptæ sunt, ad refectionem earum pecuniam dederit: valet donatio, in quantum ædificij extractio requirit. *l. quod si vir. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

### X II.

Inter patrem & filium in potestate constitutum, donatio non valet: quia pater, & filius, genitor, & genitus juris artificio pro una & eadem persona habentur. Igitur si alter alteri donat, sibiipsi donare videntur, & ideo nulla est donatio. *l. si quis duobus ultim. C. de Impub. & alijs subst. l. cum scimus 22. C. de Agriculis.*

### X III.

Confirmatur tamen donatio, tam inter patrem, & filium, quam inter conjuges morte donantis. *l. res uxoris 24. C. de donat. inter vir. & uxor.*

### X IV.

Nolenti, & invito liberalitas acquiri non potest. *l. hoc jure 19. §. 2. ff. h. t. l. invito 69. de R. Jur.*

### X V.

Omnes res, quæ in hominum commercio existunt, tam corporales, quam incorporales, donari possunt a) modo donantis propriæ sint. b)

a) *l. in adibus 9. l. Aquilius 27. ff. h. t. b) d. l. 9. §. fin. h. t. l. nemo 54. de R. Jur.*

### X VI.

Donatio omnium bonorum, a) tam præsentium, quam

quam futurorum *b)* an valeat ingens est DD. consuetus :  
Nos affirmantem sententiam veriolem putamus

a) *l. omnes debitores 17. §. 1. ff. qua in fraud. credit. l. si unquam §. C. de rev. donat. l. si totas §. C. de ineffic. donat.*

b) *l. si quis C. qua res pign. oblig. poss.*

### XVII.

Donatio indefinite omnium bonorum facta, an comprehendat etiam bona futura? quod negamus per *l. si ita §. ff. de aur. & arg. legato.*

### XVIII.

An Emphyteuta possit Emphyteusin sine domini consensu donare, valde controvertitur: pro affirmativa quid dici possit videbimus. *l. si quis fundos 1. C. de fundis patrimon. l. cum dubitabatur ult. C. de jun. emphyt.*

### XIX.

Solo consensu donatio perficitur, unde scriptura ad ejus essentiam minime requiritur. *l. in extraneos 29. l. in donationibus 31. C. h. t.*

### XX.

Ita tamen ut hoc in simplici donatione, quæ 500 solidos non excedit obtineat, quod si quingentorum solidorum quantitatem transcendat, actis publicis insinuanda est. *§. Alia autem 2. Inst. h. t.*

### XXI.

In quibusdam casibus etiam ultra 500 aureos valet sine scriptis: ut si fiat ab Imperatore in privatum, vel e converso, vel à privato in privatum, ad reparationem domorum. *l. Sancimus 34. auth. Item & à privatis C. h. t.*

### XXII.

Donatio etsi ad pias causas facta sit, valet usq; ad summam 500, solidorum tantum, sine insinuatione. *d. l. Sancimus 34. §. 1. C. h. t. l. illud quod 19. C. de sacrosanct. Eccles.*

Dona-

## XXIII.

Donatio excedens prædictam legitimam definitionem, non in totum vitabitur: sed id, quod superfluum est, tantum invalidum esse debet. *d. l. 34. C. h. t. Novell. 162. cap. 1. §. 2.*

## XXIV.

Hoc itaq; modo perfecta donatio, donatorem ad rem tradendam obligat. *d. Nov. 162. cap. 1. §. Alia autem 2. Inst. h. t.*

## XXV.

Sciendum tamen est, mitius agi debere, cum donatore, quam alio debitore: nam ex liberalitate sua obligatus, in tantum, quantum facere potest condemnatur. *l. Divus Pius 28. de Reg. Jur.*

## XXVI.

Semel perfecta donatio temerè non revocatur, nisi ex certis causis. *§. 2 Inst. h. t.*

## XXVII.

Et primo quidem propter enorme ingratitudeis vitium donatarij, permissum est donatori, rem donatam revocare. *d. §. Inst. h. t. l. donationes 9. l. generaliter 10. C. de revoc. donat.*

## XXVIII.

Commode quæri potest hic, num etiam aliæ sint admittendæ ingratitudeis causæ, præter enumeratas in *l. ult. C. de rev. donat.*? quod negamus *l. interpretatione 42. ff. de panis l. factum 155. de R. Jur. d. l. ult. C. de rev. donat.*

## XXIX.

Deinde si quis liberis destitutus, totam suam substantiam, vel partem earum donatione largitus fuerit, potest propter susceptos liberos postea illam revocare. *l. si unquam 8. C. de rev. donat.*

Postre-



## XXX.

Postremo per querelam inofficiosa donationis, in præjudicium legitimorum heredum peractæ, non in totum, sed tantum quo ad legitimam donatio revocatur. *l. si totas 5. C. de inoff. donat.*

## XXXI.

Hactenus de donatione propria, sequitur jam impropria: quæ fit vel mortis causa vel non mortis causa *l. 1. ff. de donat. caus. mortis.*

## XXXII.

Mortis causa donatio est, cum quis magis vult se habere, quam eum cui donat, magisq; cum, cui donat, quam heredem suum. *d. l. 1. ff. de mort. caus. don. §. 1. in fin. Inst. h. t.*

## XXXIII.

Et fit quandoq; ab homine sano, quia cogitat aliquando se moriturum, vel ab infirmo, scilicet ut statim fiat accipientis: vel tum demum, cum mors fuerit insequuta. *l. Julianus 2. ff. de mort. caus. donat.*

## XXXIV.

Fit quoq; per stipulationem, vel pollicitationem, vel solam traditionem, quinq; testibus præsentibus. *l. cum de mortis. ult. C. de mort. caus. donat.*

## XXXV.

Hoc modo donare possunt omnes, qui jus testamenti faciendi habent. *l. tam is 25. ff. de mort. caus. donat.*

## XXXVI.

Sed fallit hoc in filiofamil., qui, etiamsi testamentum facere nequeat, licet pater consentiat a) tamen eo permitte, mortis causa donare potest. b)

a) *l. nemo ex lege 11. C. qui test. fac. poss.* b) *l. tam is 25. §. 1. ff. de mort. caus. don.*

## XXXVII.

De minore quæsitum est, an is possit causa mortis donare

nare absq; curatoris consensu? Nos eum posse putamus  
*per §. ult. Inst. qui & ex quib. caus. man. non poss.*

XX XII X.

Et quidem ei soli, cui legatur, hoc modo donatur, eaq; res quæ legari, eadem quoq; mortis causa donari possunt.  
*l. omnibus. 9. l. Senatus 35. §. 4. ff. h. t.*

XX XI X.

Sic quoq; mortis causa donari potest, ut nullo casu sit ejus repetitio, nec si convaluerit quidem donator. *l. si alienam. §. 1. in fin. l. Senatus 35. §. 4. ff. h. t.*

X L.

Sed an taliter facta donatio transmutetur in simplicem donationem, quæstionis est? quod affirmamus. *per l. ubi ita. 27. ff. h. t.*

X L I.

Insuper inter virum, & uxorem a) inter patrem, & filium in potestate constitutum b) valet hæc donatio, non intervenientibus publicis actis, vel insinuatione. c)

a) *l. si eum. 9. §. 2. ff. de donat. inter vir. & uxor.* b) *arg. l. omnib. 9. ff. h. t.* c) *l. fin. C. h. t.*

X L II.

Revocatur hoc modo facta donatio, si prius decedat donatarius. *l. si filiosam. 23. l. ult. ff. h. t. §. 1. Inst. h. t.*

X L III.

Irrita quoque fit ejusmodi donatio, sola donatoris poenitentia. *d. §. 1. Inst. h. t. l. qui mortis causa 30. ff. h. t.*

X L IV.

Qui mortis causa donavit, conditionem ob causam dati, vel utilem in rem vindicationem habet. *l. si mortis causa 29. l. qui mortis 30. l. Senatus 35. §. 3. ff. h. t.*

X L V.

Non mortis causa fit donatio propter nuptias: quæ  
B est do-

est donum, quod vel in spem futurarum nuptiarum, vel  
jam contracto matrimonio, in compensationem dotis da-  
tur. *S. est & aliud. 3. Inst. h. t.*

XLVI.

Hæc donatio olim si quingentorum solidorum tran-  
scenderet numerum, insinuata actis fuit, hodie vero ex  
parte tantum viri insinuatio necessaria est, ex parte vero  
mulieris firmissimum robur etiam sine insinuatione ha-  
bet. *Novell. 127. cap. 2.*

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.


*Studiosus cuius nomen non est relatum in  
studiosorum album, seu matriculam, potest sine  
privilegia cæterorum studiosorum pro se alle-  
gare? Negamus.*

II.

*An sumptus studiorum à filio post mortem  
patris facti, ex proprijs ipsius bonis, an vero ex  
communi hereditate depromi debeant? Neg.  
Schneidov. ad S. quædam actiones, de actione Fam. Eysc. n.  
53. & seqq.*

III.

*Studiosus an die feriato possit sine peccato  
studere? Affirm.*



AD

AD HUMANISSIMUM ET DOCTISSIMUM,

Dn. Iohannem Marquardum,  
de Donationibus differentem.

**E**Cquis inexpertus cauto conamine miles,  
Objectare caput dubij in discrimina Martis  
Noverit, aut palmâ poterit victrice potiri;  
Ni belli simulacra prius vero amula bello  
Et cieat, saepe innocuis exercitus armis,  
Et libret dextrâ crispatum hastile reductâ,  
Collimetq; globis praefixam tangere metam?

Non aliter, divina Themis, tua castra secutus.

Flos juvenum, MARQUARDUS, honosq; aliquando virorum  
Eximius, nunc in placitâ tibi militat umbrâ,

Quem firmo annorum tu robore forsitan olim

(Faverit incaptis si dextrum numen) aperto

Victoremve Ducemve videns mirabere campo;

Cernemusq; simul simul & mirabimur omnes.

Quin etjam hoc primo, Marquarde, in vere juvena

Docto aperis certamine, utri Donatio vergat,

Munera seu vivus; moriens seu muerera donet.

O te quanta manent donaria! munere quanto,

Suada, Themis, Charites, Aete, Sapientia, Musa,

Pro se quaq; trahit sibi, te donare ferentem!

Dona feret vivus, qua dant post funera vitam.

Macte animo juvenis, perge his praludere telâ.


En, tibi, euiq; suum tribuens Astraea, perennem

Aeternâ lauri necet de fronde coronam.

Illa Corona alijs longè anteferenda trophaïs.

BARTHOLOMÆUS SMOLDIUS

Rigâ Livonus,



**Q**uem tu Diva Themis, face  
 Nascentem placidi sideris adspicis,  
 Illum non Boreæ, & Noti  
 Hispanâ aut Italâ merce Livonicas  
 Mutantem excipiet latus.  
 Nec Martis tunicâ cinctus aheneâ  
 Transmittet itygio Jovi  
 Mactatas hominum cuspide victimas.  
 Nec læsâ ad scopulos rate  
 Ponto divitias addet, & avidas  
 Suspendet pelagi Deo  
 Vestes cum tabulâ, fluctibus erutus,  
 Vastum ut qui penetrant mare.  
 Sed vitam placido transiget otio,  
 Sacris, Diva, vacans tuis  
 Et prolota tuo pectora flamine  
 (Marquardus veluti meus.)  
 Dedit mancipio, ceu dominæ, tibi,  
 Germanæq; tuæ, scelus  
 Quam terris pepulit, sed superâ è domo  
 Jam tandem retrahit Fides,  
 Et cultus rigidi juris honestior.  
 O vitam Superis parem!  
 O dulci studium Nectare dulcius  
 Quod carum sequeris caput!  
 Maçte hoc, & facili quam pede currere,  
 Hortatu Genij, viam.  
 Inceptas, simili perge capessere  
 Ad metam stadij, modo.  
 Sic tandem patriæ redditus, actuis,  
 Summis auctus honoribus,  
 Praesces Justitiæ nobilis audies,  
 Sublimemq; premens thronum.  
 Vim vinculis reprimes, juraq; divides.

JOHAN - ADOLPHUS TASSIUS.

— 96 —

nare absq; curatoris consensu? Nos  
*per D. ult. Inst. qui & ex quib. caus. man.*

XXXIIX.

Et quidem ei soli, cui legatur, hoc in  
res quæ legari, eadem quoq; mortis cau  
*l. omnibus. 9. l. Senatus 35. D. 4. ff. h. t.*

XXXIX.

Sic quoq; mortis causa donari pot  
ejus repetitio, nec si convaluerit quide  
*licenam. D. 1. in fin. l. Senatus 35. D. 4. ff. h.*

XL.

Sed an taliter facta donatio transmu  
donationem, quæstionis est? quod a  
*ubi ita. 27. ff. h. t.*

XLI.

Insuper inter virum, & uxorem a) i  
lium in potestate constitutum b) valet  
intervenientibus publicis actis, vel infini

a) *l. si eum. 9. D. 2. ff. de donat. inter v*  
*l. omnib. 9. ff. h. t.* c) *l. fin. C. h. t.*

XLII.

Revocatur hoc modo facta donat  
donatarius. *l. si filiosam. 23. l. ult. ff. h. t.*

XLIII.

Irrita quoque fit ejusmodi donati  
pœnitentia. *d. D. 1. Inst. h. t. l. qui mor*

XLIV.

Qui mortis causa donavit, cond  
sam dati, vel utilem in rem vindicati  
*mortis causa 29. l. qui mortis 30. l. Senatus.*

XLV.

Non mortis causa fit donatio pro  
B

